

Testamenti de jure divino, cum contra jus divinum non valeat consuetudo; cap. *Cum tanto 11, de Consuetudine*; et DD. communiter; nec in illo dispensare possit Pontifex, hoc ipso quod Lex Superioris per inferiorem tolli non possit; cap. *Cum Inferior 16, de majoritat. et obedient. et Clement. Ne Romani, de election.*

(26. Adversarii volentes etiam nunc tempore novi Testamenti extare obligationem de Jure Divino solvendi Decimas, adducunt varios Canones, quibus dicunt expresse id declarari; Pascalis II, in c. *Decimas 47, caus. 16, qu. 1*, sic expresse dicit: « Decimas a populo Sacerdotibus et Levitis esse reddendas, Divinæ Legis sanxit auctoritas; » Urbanus II, in c. *Admonemus 2, caus. 16, qu. 2*, sic expresse pronunciat: « Decimas... quas ipse Deus dare constituit; » Gregorius VII, in cap. *Decimas 1, caus. 16, qu. 7*, sic expresse ait: « Decimas... quas fideles præcipiente Domino offerunt. » Alexander III, in cap. *Parochianos 14 de Decimis*, dicit expresse, quod « Decimæ non ab homine sed ab ipso Domino sint institutæ. » Innoc. III, in cap. *Tua 23, de Decimis*, asserit expresse quod Decimæ « Divina constitutione debentur. » Idem Innocent. in cap. *Tua nobis 26, eod. tit.* sic expresse habet: « Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit. » S. Gregorius Papa in cap. *Quadragesima 16, dist. 5, de consecrat.*, sic expresse dicit: « Jubemur etiam ab Omnipotente Deo, omnium bonorum nostrorum Decimas dare. » (27. Sed ad istos et alios quoscumque consimiles Canones statim respondetur, non esse intelligendos de Decimis formaliter captis, sed solum de Decimis materialiter sumptis, id est secundum substantiam, quatenus nempe sunt stipendium necessarium ad honestam et congruam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, sub qua acceptione etiam nos dicimus esse debitas ipsis Ministris de Jure Divino, ut patet supra num. 14 et 16. (28. Et dato, et non concessio, quod tales Canones ut prætendunt adversarii, sint intelligendi etiam de Decimis formaliter captis, adeoque etiam ut tales esse Juris Divini; Respondetur debere intelligi, quod sint juris Divini non proprie, sed remote, et occasionaliter, quia nimirum Decimæ ad imitationem, seu exemplam veteris Legis, ab Ecclesia sunt receptæ, et constitutæ, seu per propriam Legem decretæ; qua ratione etiam jejuniæ Quadragesimale dicitur nobis esse præceptum ex Lege, et ex Prophetis, et ex ipso Evangelio apud S. August. Psal. 100, et alios SS. PP. quia ad exemplum Prophetarum, et præcipue Christi Domini ab Apostolis fuit institutum; Sic Suarez tom. 1 de Relig., tract. 2, lib. 1, cap. 10. Lessius lib. 2, c. 39, n. 7. Pirhing. l. c. n. 8.

(29. Decimas defraudans, vel non solvens, peccat dupliciter, scilicet et contra virtutem Religionis, et contra virtutem Justitiæ; Ita Azorius p. 1, lib. 7, c. 23, qu. 8. Lessius l. 2, cap. 39, n. 8. Pirhing. l. c. num. 9. Reiffenstuel l. c. num. 20, et alii passim. Prima pars patet, quia Decimæ etiam nunc debentur

in contestationem, et signum supremi et universalis dominii Dei super nos; e. *Tua nobis 26, de Decimis*, ibi: « Decimæ quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcipit, » et c. *Cum non 33, eod. tit.* ibi: « *Cum autem in signum universalis dominii quasi quodam titulo spiritali sibi Dominus Decimas reservavit,* » adeoque qui eas defraudat contra cultum Deo debitum, consequenter contra Religionem agit, sicque sacrilegium committit, uti expresse de defraudantibus Decimas dicit Gregorius VII. in cap. *Decimas 1, caus. 16, qu. 7*. ibi: « Sciant se Sagrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere. » (30. Secunda pars etiam patet, quia Decimæ nedum debent solvi in signum universalis dominii Dei super nos, et consequenter in suum cultum, sed etiam in debitam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ suo cultui addictorum, quibus eas ipse concessit; cap. *Cum tua nobis 26, de Decimis*, ibi: « Cum Deo debita sit solutio Decimarum in tantum ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, Laici si moniti reddere noluerint, Ecclesiastica sunt districtione cogendi, » et sic cum ipsi Ecclesiæ Ministri spiritualia, et Divina Laicis ministrent, debentur ipsi a Laicis Decimæ tanquam justum stipendium ex justitia, vi cujus virtutis dicitur Matth. 10: *Dignus est operarius cibo suo*, et Luc. 10: *Dignus est operarius mercede sua*, I. ad Corinth. 9: *Quis militat suis stipendiis unquam?* et cap. *Cum secundum 16, de Præbendis*: « Qui ad onus eligitur, repellitur non debet a mercede. » Vide supra numer. 4. Et manifeste innuitur in Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 12. ubi expresse præcipitur, quod defraudantes Decimas non absolvantur nisi restitutione secuta, ibi: « Nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absolvantur, » quod non præciperetur, nisi ad eas solvendas Laici ex justitia tenerentur. (31. Quinimmo ex ipso Tridentino ibidem, defraudantes, non solventes, aut impediendo solvere, possunt et debent excommunicari, ibi: « Qui vero eas (Decimas) subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur. » Et sic jam fuerat prius statutum in Concilio Rothomagensi relat. in cap. *Omnes Decimæ 1, caus. 16, qu. 7* ibi: « Sed quia modo multi inveniuntur Decimas dare nolentes, et statuimus ut secundum Domini præceptum admoneantur semel, et secundo, et tertio, qui si se non emendaverint, anathematis vinculo feriuntur usque ad satisfactionem et emendationem congruam. » Sic etiam ab Alexandro III. relat. in cap. *Per venit 5, de Decimis*; sic etiam a Clement. III. relat. in cap. *Ex parte 21, eod. titul.* et sic etiam ab Innocentio III. relat. in cap. *Tua nobis 26, eod. titul.* (32. Unde merito fuit damnatus a Martino V. in Concilio Constantiensi anno 1418. Constitut. incipien. *Inter cunctas*, sequens articulus 18. inter alios Joannis Wicleffi de Anglia: « Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. De origine Decimarum in Ecclesia non conveniunt inter se Scriptores. Illud certum est, initio nascentis Ecclesiæ Christianos omnia bona sua in medium contulisse; Actor. cap. 1. vers. 34 et 35. adeoque Decimis opus tunc temporis haud fuisse. (34. Licetque hæc communio bonorum postmodum cessaverit; tamen frequentes adeo et magnæ erant oblationes Christianorum, ut satis consultum esset necessitatibus Ecclesiæ, nec propterea opus fuerit decimis. (35. Idque sæculo etiam tertio obtinebat, ut liquet ex S. Cypriano epist. lib. 1. epist. 9, ad Cler. et Pleb. Furnitan.

(36. Ut primum autem ipsæ oblationes raræ, et tenues esse cœperunt, Patres Ecclesiæ hortati fuere Christianos ad Decimas, iisque proposuerunt legem Moysis, at non uti præceptum, sed uti exemplum: (37. Pauci vero fuerunt qui hoc exemplum sequebantur. Confer. D. Augustin. Epist. 95. ad Casulan. Præbyter. tum lib. De decem. Chord. c. 12.

(38. Non sum nescius, eumdem Div. Augustin. in can. 66. caus. 16. qu. 1. de Decimis tanquam debitis loqui. (39. At Sermonem 219. Divi Augustini unde desumptus dicitur mox dictus can. 66. adulterinum esse vel inde satis patet, quod esset primus Dominice XII. post Trinitatem, et tunc haud erat inventa ea temporis differentia, quinimmo nunquam habuit locum in Ecclesiis Africae. (40. Reque ipsa docti Benedictini, qui id sibi negotii dederunt, ut reviderent opera D. Augustini, sermonem hunc 219. minime tribuerunt ipsi D. Augustino. « Lovanienses (inquiunt) dubium reliquerunt. Rejecit post Verlinum Vindingus, ob id maxime quod decimas, de quibus reddendis hic agit, intelligere liceat ex sermone 2. in Psalm. 103, n. 9 et ex narratione Psalmi 146, n. 16 et 17. nondum fuisse Augustini ætate Clericis et Sacerdotibus datas aut assignatas. Cæsarium potius refert quam Augustinum. »

(41. Nec turbare debet Canon 67, pariter caus. 16. qu. 1. in quo itidem de Decimis uti debitis disseritur. Desumptus enim hic Canon 68. dicitur ex Epistola quadam S. Hieronymi ad Damasum Papam. (42. At Epistolam hanc dubiæ fidei esse admiserunt ipsi correctores Romani.

(43. Quo tempore autem lex de solvendis Decimis lata in Ecclesia fuerit, haud facile est statuere. Loquor de Ecclesia Latina, nam in Ecclesia Græca Decimæ nunquam ex necessitate solutæ fuerunt. (44. In Ecclesia autem Latina antiquius Concilium, quod injunxit solutionem Decimarum, videtur Concilium Turonense II. an. 567. (45. At Concilium Matisconense II. an. 585. videtur innuere Decimarum solutionem jam ante mox dictum annum 567. demandatam fuisse. (46. Pœnam vero excommunicationis in non solventes Decimas primum infixit Concilium hoc Matisconense II. observante Fleury, His. Eccles. lib. 34, n. 50.

(47. Ex his, quæ dicta sunt de origine Decimarum dijudicare quisque facili negotio

potest, an Decimæ debitæ sint de jure divino, uti probe monuit *Auctor* n. 13. et plur. seq. Si nomine Decimarum intelligamus stipendium Ecclesiæ Ministris propter ministerium, et labores debitum, fatendum est non lege solum Divina præceptas Decimas, Levit. cap. ult. vers. 30 num. 18. 21. sed etiam naturali, Matth. xi. I Cor. 9. (48. Natura enim docet iis alimentâ deberi, qui pro Populo laborant. (49. Quare et Abramus in statu ante legem Decimas obtulit Sacerdoti Melchisedech; Genes. 14. (50. Si autem nomine Decimarum determinatam quantitatem scilicet decimam bonorum partem accipiamus, dicendum est, lege quidem Divina demandatas fuisse Decimas in veteri Testamento, non item in novo: quippe quod tale præceptum minime continet. (51. Idque inde confirmatur quod, ut visum est, in Ecclesia præceptum de solvendis Decimis sero factum fuit. « Negamus » (recte inquit Ziegler de Episc. part. 2, cap. 27, n. 7.) « morale unquam fuisse, ut Decimæ solverentur ratione specificationis, etsi libenter concedamus, generale fundamentum esse morale, et perpetuum, quemadmodum perpetuum est, ut merces solvatur operario. »

ARTICULUS II.

Decimæ quibus, et a quibus sint solvendæ?

(1. Decimæ antiquitus, antequam fieret Parochiarum ac bonorum Ecclesiasticorum divisio, solvebantur loci Episcopo, ad hoc ut ille easdem Clericis Ecclesiæ Ministris, juxta cujusvis meritum, et exigentiam in sua Diœcesi fideliter distribueret; cap. *Decimas 1, caus. 16, qu. 7*. ibi: « Decimas sub manu Episcopi fore censemus, ut ille, quia cæteris præest, omnibus juste distribuat... quia inhonestum videtur, ut alii Sacerdotes habeant, et alii detrimentum patiantur; » cap. *Per venit 3, ead. caus. et quæst.* ibi: « Per venit ad nos fama sinistra, quod quidam Episcoporum non Sacerdotibus propriæ Diœcesis decimas, atque Christianorum oblationes conferunt, sed potius Laicalibus personis, militum scilicet, sive Servitorum, vel (quod gravius est) etiam consanguineis. Unde si quis amodo Episcopus inventus fuerit hujus præcepti divini transgressor, inter maximos Hæreticos et Antichristos non minimus habeatur. » (2. Postquam autem est facta Parochiarum et bonorum Ecclesiasticorum divisio, decimæ de jure communi solvendæ sunt Parochis, textu expresso in cap. *Cum contingat 29, de decimis*, ibi: « Cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, » et cap. *Cum in tua 30, eod. tit.* ibi: « Parochialibus Ecclesiis exsolvantur, ad quas de Jure communi spectat perceptio decimarum. » Et sic Rota recent. part. 1. dec. 371. num. 4. part. 5, tom. 1. dec. 64, num. 3, part. 7. dec. 61, num. 10, part. 7. dec. 133. num. 12, p. 8. dec. 83, num. 1, et p. 13. dec. 320, num. 2. Fagnan. in cap. *Cum contingat 29, de decimis*, Pirhing eod. tit. n. 6. Reiffenstuel ibid. n. 93. Barbosa, de offic. et potest. Parochi, p. 3. c. 28, § 2, n. 7, et seq. et communis aliorum.

(3. Decimæ prædiales de jure communi solvendæ sunt Parocho loci non solum a Parochianis propriis, sed etiam ab alienis de agris et prædiis, quæ intra limites talis Parochiæ existunt, nisi contraria sit legitima loci consuetudo. Prima pars est certa, et clara ex cit. c. *Cum contingat* 29. et cap. *Cum in tua* 30. de *decimis*. Secunda pars colligitur ex cap. *Significavit* 3. de *Parochiis*, et c. *Quoniam* 13. de *decimis*; ubi universaliter, ac indistincte statuitur, ut si terra intra certam alicujus Ecclesiæ Parochiam fuerint, decimæ earum eidem Ecclesiæ debeant assignari. Et sic tenet Glossa in d. c. *Significavit* 3. de *Parochiis*, verb. *Prædiorum*, in c. *Cum sint* 18. verb. *Diversæ*, et in c. *Ad Apostolicæ* 20. verb. *Consuetudo*, de *decimis*, Fagn. in c. *Cum contingat* 29. de *decimis* num. 21. Engel. lib. 3. Decretal. tit. 30. n. 6. Pirhing. eod. tit. numer. 83. Reiffenstuel ibid. n. 94. Rota recent part. 17. decis. 208. n. 1. et est communis. Et ratio est quia decimæ prædiales sunt onus reale inhærens ipsius rebus; in oneribus autem realibus non inspicitur colonus, sed locus, ubi res sita est; arg. leg. forma 4. ff. de *cens. et cap. de terris* 16. de *decimis*. (4. Dicitur autem notanter, « Nisi contraria sit legitima loci consuetudo, » quia si alicubi sit consuetudo, quod Parochiani solvant proprio Parocho, et non alieno decimas, etiam de agris et prædiis suis in aliena Parochia, est adhuc observanda textu expresso in cap. *Cum sint* 18. de *decimis*, ubi statuitur, quod in hujusmodi casu ad consuetudinem sit recurrendum, et c. *Ad Apostolicæ* 20. eod. tit. ubi sic præcise habetur: « Super decimis vero Messium vel fructuum arborum, si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant (quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur) tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum. » Et sic Rota recent. part. 5. tom. 1. dec. 124. n. 15. par. 11. dec. 344. sub. n. 11. et part. 14. dec. 27. n. 1.

(5. Decimæ ovium aliorumque animalium, quæ dimidia parte anni morantur, et pascuntur intra limites Ecclesiæ prædialis, et altera dimidia parte anni morantur et pascuntur intra limites Ecclesiæ Parochialis, debent solvi pro medietate utriusque Parocho; Glossa in dict. c. *Ad Apostolicæ* 20. de *decimis*, verb. *Personales*; Sanct. Thomas 2. 2. quæst. 87. art. 3. ad 2. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 1. cap. 5. n. 8. cum sequent. et plurimi alii cum Barbosa de offic. et potest. Parochi part. 3. cap. 28. § 2. n. 38. (6. Sic etiam sunt dividendæ pro medietate inter duas Parochias decimæ ovium, aliorumque animalium, quæ in una jacent, et dormiunt, et in alia pascuntur; Fagundez, de Ecclesiæ præceptis, præcept. 5. lib. 1. p. 5. n. 10. Basil. Pont. de Sacrament. Matrim., lib. 5. c. 13. § 3. n. 23 et 25. Barb. loc. cit. n. 39. et alii. (7. Quando oves, et alia animalia nec morantur, nec pascuntur per ullam anni partem in Parochia Domini sui, sed in aliis, nulla pars decimarum debetur Ecclesiæ Parochiali Domini, sed illi ubi morantur, et pascuntur; Basil. Pontius loc. cit. n. 23. Barb. loc. cit.

n. 40. et alii. (8. Decimæ ex ovibus, aliisque animalibus non sunt solvendæ Parochis illarum Regionum, per quas pascendo transitum faciunt, et redeunt in Domicilium. Et ratio est quia licet eundo et redeundo pascuntur in pascuis prædictarum Parochiarum, hoc tamen nutrimentum minimum est, et parvæ considerationis; unde cum de minimis decimæ, non sint solvendæ; arg. leg. *Socio*, ff. de *in integr. restit.* leg. 4. in fin. ff. de *adlit. edicto*, dicendum est prædictis Parochiis nihil deberi loco decimarum. Tum quia ut recte advertit Navar. cons. 2. de *decimis* n. 3. moraliter loquendo videtur impossibile recte judicare, quænam quantitas prædictis Parochiis solvi debeat, et quisnam sit valor illius decimæ, quæ possit illis respective contingere, unde necessario dicendum est non esse faciendam majorem impensam nec majorem laborem assumendum, quam sit res ipsa propter quam assumitur; Barbosa, loc. cit. n. 42. et alii.

(9. Decimæ personales de jure communi solvendæ sunt Parocho illius Ecclesiæ ubi percipit Sacramenta, et audit divina, etiamsi alibi lucrum v. g. ex negotiatione reportet, c. Quæsti sunt 46. caus. 16. q. 1. ibi: « Familiæ vero eorum ibi dent decimas suas, ubi eorum infantes baptizantur, et ubi per totum anni circulum Missas audiunt; » c. *Ad Apostolicæ* 20. de *decimis*, ibi: « Noveris itaque, quod æquum est, ut illi Ecclesiæ Decimæ personales reddantur ab eis, in qua Ecclesiastica percipiunt Sacramenta, » concordat c. significavit 5. de *Parochiis*. Est communis. Et ratio est quia sicut proprius Parochus sua persona, et illius ministerio Sacramenta, et spiritualia administrat, ita quoque oportet ut ille in cujus favorem sit prædicta Sacramentorum, et spiritualium administratio, eidem Parocho solvat decimas de illis, quæ ex propria persona, et illius ministerio acquisivit. (10. Et tali proprio Parocho debentur decimæ personales, etiamsi Parochianus causa comitandi Regem, vel recreandi animum, vel agendi aliqua negotia, vel fugiendi pestem, vel causa belli, et hujusmodi extra illam Parochiam resideat, absque tamen animo transferendi domicilium in perpetuum; arg. cap. *Is, qui habet domicilium* 3. de *Sepulturis* in 6. et advertit in specie Navar. consil. 2. n. 5. de *decimis*, quamvis per accidens in tali Parochia per totum tempus absentia non recipiat Sacramenta, nec audiat Divina; Barbosa loc. cit. n. 26. Basil. Pontius de Sacram. Matrim. lib. 5. cap. 13. § 3. n. 19. Fagundez de Eccl. præcept. 5. lib. 1. cap. 3. n. 2. (11. Decimæ personales non debentur primæ Parochiali, si quis mutaverit domicilium, sed secundæ, in qua recipit Sacramenta, et audit Divina; cit. c. *Ad Apostolicæ* 20. de *decimis*; Rota pag. 5. rec. dec. 12. n. 4. Fagnan. in cit. c. *Cum contingat* n. 53. de *decimis*, Butrius, et alii passim. (12. Decimæ personales sunt dividendæ inter plures Ecclesias pro rata temporis, quo Parochiani in eis audiunt Divina, et recipiunt Sacramenta, Rebuff. de *decimis* q. 6. n. 5. Suar. l. c. cap.

21. n. 1. Fagundez loc. n. 5. Fagn. loc. cit. n. 56. Barb. loc. cit. n. 29.

(13. Si quis artifex habeat domicilium in confinio duarum Parochialium, tenetur decimas personalesolvere illi Parochiæ ubi est pars domicilii, in qua semper laborat; et si dubitetur de qua Parochia domicilium sit, tunc inspicenda est janua, seu portaillius principalis; Fagundez loc. cit. n. 6. et 7. Barb. loc. cit. n. 30. et alii. (14. Si quis percipit Sacramentum Baptismi in Ecclesia Matrice, et reliqua Sacramenta in Ecclesia Parochiali, decimæ personales partim debentur Ecclesiæ Parochiali ratione Baptismi, qui est janua omnium Sacramentorum, c. fin. de *Presbyt. non baptizato*, et partim Parochiali propter reliqua Sacramenta, ut colligitur ex c. *Quæsti sunt* 46. caus. 16. p. 1. ibi: « Dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, et ubi per totum anni circulum Missas audiunt, » quæ verba, ut dicit Fagn. loc. cit. n. 56. satis clare innuunt decimas personales utrobique solvendas, id est tam in Ecclesia, ubi quis baptizatur, quam in illa, ubi per anni circulum audit Divina, et percipit reliqua Sacramenta; Goffredus in summa de decimis § 2; Butrius in cit. c. *Cum contingat* n. 8. vers. *Quantum autem ad Decimas*, Cardin. n. 8. verb. *Personales autem*, Abbas numer. 6. vers. *Remanet tamen unum dubium*; (15. Et alii contra varios alios volentes decimas personales deberi solum Parochiali, in qua audiunt Divina, et percipiuntur reliqua Sacramenta, non autem Baptismali, si ibi Divina non audiuntur, et sic tenet Glossa in cap. *Statuimus*, in verb. *Baptismalem*, caus. 16. q. 1. Glossa ultim. in c. *Significavit* 5. de *Parochiis* Jo. Andr. et Ancheran. in d. c. *Ad Apostolicæ* 20. de *Decimis* Rebuff. de *decimis* quæst. 6. num. 21. Quæ opinio est vere probabilis, et satis placet, ex quo per textum in cap. *Ad Apostolicæ* 20. de *Decimis* et cap. *Significavit* 5. de *Parochiis*. Decimæ personales debentur illi Ecclesiæ, in qua quis audit Divina officia, et percipit Ecclesiastica Sacramenta, ut jam dictum est num. 9. et textus in cap. *Quæsti sunt* 46. caus. 16. q. 1. cum citetur etiam pro se ab auctoribus hujus opinionis, cum de facili possit intelligi in sensu copulativo, id est de Ecclesia in qua et baptizantur, et etiam Missas audiunt, aliaque Sacramenta percipiunt; (16. Unde circa hoc est attendenda consuetudo, cui standum esse fatentur etiam Auctores primæ opinionis; ex cap. *Cum sint* 18. et c. *Ad Apostolicæ* 20. de *Decimis*. Vid. supra n. 4.

(17. Quando Parochia aliqua dismembratur, et erigitur nova Parochia, decimæ prædiales ad Parochiam Matricem pertinentes non transeunt ipso jure in Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanent apud Parochiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Concilii Tridentini assignaverit; sic expresse Sac. Congr. Conc. 11. Martii 1617. Fagn. lib. 3. decretal. in c. *Cum contingat* 29. de *Decimis* a n. 42. Barb. de offic. et potest. Parochi c. 29. § 2. num. 19. vers. *Advertendum quoque*; Reiffenstuel lib. 3. Decretal. tit. 39. n. 104. et

alii contra plurimos alios: et probatur ex verbis Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. de *reform.* ubi sic expresse habet: « In iis vero (scilicet Ecclesiis Parochialibus) in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et Divina Officia audienda accedere non possunt, novas Parochias etiam invitatis Rectoribus juxta formam Constitutionis Alexandri III, quæ incipit: » *Ad audientiam* « constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus. » Ubi ut vides ultima illa Concilii verba, *competens assignetur*, etc., clare probant nostram conclusionem. (18. Verbum enim illud *Assignetur*, quod est verbum facti; et requirit hominis ministerium; arg. l. *Si quid* § fin. ff. de *legat.* 3. et l. 10. § fin. ff. *Nautæ, Cauponæ, Stabularii*, et cap. *Extirpanda*, § *Qui vero* 30. de *Præbend.* et cap. *Exposuisti* 33. eod. tit. demonstrat aperte, quod tales Decimæ non transeunt ipso jure, cum non possit ipso jure transire, quod per ministerium hominis est assignandum. (19. Idem demonstrant verba illa, *Competens portio*, nam Trid. noluit ut nova Parochia statim jus diceret super omnibus decimis prædiorum intra suos limites existentium, juxta text. in c. *Pastoralis* 9. de *his quæ fiunt a Prælatibus*; sed ut illi competens tantum portio assignaretur ab Episcopo, quippe ante ejus declarationem ignoratur, quæ portio sit competens, et consequenter non potest ipso jure in novam Parochiam transire, cum præsertim *portionis* appellatione veniat pars, et non totum, l. *Nomen filiorum*, § *Portionis*, ff. de *verb. significat.* (20. Idem indicant verba illa *Arbitrio Episcopi*, quia ex quo relinquatur arbitrio Episcopi assignanda competens portio, stat clarum quod omnes decimæ non transeunt ipso jure in novam Parochiam, cum in his, quæ sunt determinata a jure, arbitrium non intret; l. 1. § *Aut Prætor*, ff. de *jure delib.* l. *Mora*, ff. de *prob.* et c. de *causis* 4. de *offic. et potest. Jud. Delegat.* ibi: « Si tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna Canonibus exprimat, eandem infliges, alioquin ipsos pro delicti qualitate, et causa secundum tuum arbitrium punire procures. » Ex quo textu clare patet arbitrium solum intrare in his, quæ non sunt determinata a jure.

(21. Idem clare innuunt verba illa: « Ex fructibus ad Eccl. Matricem quomodocumque pertinentibus; » quia cum relinquatur arbitrio Episcopi assignare portionem novo Parocho, sive ex decimis, sive ex aliis fructibus ad Matricem pertinentibus, quamdiu hoc arbitratus non fuerit, decimæ non debentur, quia potest contingere, ut non assignet Decimas, sed alios redditus, et ratione incertitudinis et ambiguitatis nihil debetur, ut l. *Duo sunt Titii*, ff. de *Testament.* et l. *Si ita fuerit*, ff. de *reb. dub.* Nihil enim est quod possit executioni demandari, antequam appareat ex declaratione Episcopi

quanta, et qualis sit hujusmodi portio, nam quod pendet, non est pro eo, quasi sit, ut dicit text. in l. *Is damnus*, § *Quod pendet*, ff. *de Regul. jur.* (22. Unde Rota in Mediolanensi Decimarum de Carlatio 10. Martii 1616. cor. bon. mem. Martino Andrea, propter supra allegata verba Conc. Trident. fortiter de sua conclusione hæsitavit, et ideo causam remisit ad Sacram Congregationem Cardinalium ejusdem Concilii interpretum, quæ sub die 15. Martii 1617. partibus auditis, et articulo mature discusso censuit: decimas ad Ecclesiam Matricem pertinentes non transire ipso jure Parochialem Ecclesiam noviter erectam, sed remanere apud Ecclesiam Matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Concilii assignaverit. Sic referunt Fagnan. Barb. et Reiffenstuel l. c. Notanter autem fuit dictum in conclusione. (23. *Decimæ prædiales*, quia Decimæ personales transeunt ipso jure in Parochialem noviter erectam, etiam ante ullam Episcopi assignationem, ut tenet communis Doctorum cum Glossa in cap. *Ad Audientiam 2. de Eccles. edific. verb. Obventiones.* et bene notat Fagnan. loc. cit. n. 53. Et ratio est, quia Decimæ personales de jure debentur illi Parochiæ, ubi persona audit Divina, et percipit Ecclesiastica Sacramenta, ut teste Abbate in cap. *Cum contingat 29. de Decimis* n. 16. et Fagnan. ibid. n. 20. et 52. concludunt omnes juxta expressum textum in cap. *Ad Apostolicam 20. de Decimis*, ibi: « Æquum est ut decimæ personales illi reddantur Ecclesiæ, in qua Ecclesiastica percipiuntur Sacramenta. » Vid. supra n. 9. adeoque cum populus post erectionem novæ Parochialis ad eam confluat pro Divinis audiendis, et Sacramentis recipiendis, non autem ad Parochialem Matricem, consequens est ut Decimæ personales, non eidem Parochiali Matrici, sed novæ Parochiali sint ipso jure persolvendæ. (24. Nec obstat supradicta declaratio Sac. Cong. Conc. quia sicut ipsa de solis Decimis prædialibus fuit interrogata, ita de iisdem solis dedit responsum, et non de Decimis personalibus, ut de auditu testatur Fagnan. l. c. n. 52. qui tunc temporis erat ejusdem Sac. Congreg. Secretarius.

(25. Decimæ variis in casibus debentur integræ soli Episcopo. Primo, quando prædia quedam intra Diocesim suam sita, nulli certæ Parochiæ in particulari sunt assignata, tunc Decimæ ex iis debentur Episcopo; c. *Quoniam 13. de Decimis* in fine. Et ratio est, quia quando prædia nulli certæ Parochiæ sunt assignata, censentur esse sub potestate Episcopi, juxta antiquam juris dispositionem dividendæ, uti recte advertit Glossa in cap. *Cum contingat 29. de Decimis* verb. *Jure communi* argum. cap. *Decimas 1. caus. 16. quæst. 7.* Est communis. (26. Secundo, quando adhuc reperitur aliqua Diocesis, in qua nondum sit facta divisio vel distinctio Parochiarum, tunc Decimæ soli Episcopo debentur (quemadmodum easdem olim percipiebat) non quidem ut sibi soli eas reservet, sed ut eas fideliter, et juste distribuat aliis Ecclesiasticis Ministris in curam animarum cooperantibus; cap. *Deci-*

mas 1. caus. 16. quæst. 7. et est communis. (27. Tertio, quando Episcopus est etiam immediatus Parochus in aliqua certa Parochia, quam per Vicarium administrat, sive illa sit Ecclesia Cathedralis, sive alia, tunc enim ad illum etiam pertinent Decimæ, quæ Parochis debentur; cap. *Dudum 31. de Decimis*, Fagnan. loc. cit. num. 27. Pirhing l. c. num. 79. Reiffenstuel l. c. num. 3. et alii passim. (28. Quarto, quando, et ubi non obstat legitima consuetudo in contrarium, debetur Episcopo *Quarta* de singulis Decimis, textu expresso in cap. *Conquerente 16. de offic. Judic. Ordinar.* ubi inter Jura Episcopis competenti numeratur *Quarta decimationum*. Concordat cap. *Quoniam 13. de Decimis*, ibi: « Decimas earum sua parte retenta, » et cap. *De quarta 4. de præscriptionibus*, ubi statuitur quod Clericus, id est Parochus, a quo Episcopus *Quartam* de Decimis jam collectis accipit, prout post Abbatem recte observat Barbosa l. c. num. 11. potest quadragenaria præscriptione immunem se reddere a solvenda Episcopo quarta Decimarum, ibi: « De quarta Decimæ et oblationis Defunctorum Clericus ab impeditione Episcopi quadragenaria præscriptione temporis se posse tueri videtur. » Fagn. l. c. num. 23. ubi affert Rotæ Decisiones, et ait esse communem.

(29. Decimæ etiam Canonicis Cathedralium, vel Collegiatarum, ac aliis Clericis simplicia Beneficia habentibus sunt de jure communi solvendæ secundum eam portionem, quæ eorum Mensis, Dignitatibus, aut Beneficiis legitima auctoritate Ecclesiastica est assignata; sicuti et quando eorum Beneficia ex decimis legitime sunt fundata; arg. cap. *Exp. 21. de Decimis*, ubi Papa Clemens III. mandat ut Canonicis, qui apud istum conquesti erant, de omnibus prædiorum fructibus, decimæ sine diminutione solvantur; Suar. lib. 1. de Decimis. cap. 29. num. 3. Pirhing lib. 3. decretal. tit. 30. num. 81. Reiffenstuel ibid. num. 112. et alii. Et ratio est, quia postquam auctoritate Ecclesiæ redditus uniuscujusque Parochiæ in plura Beneficia sunt divisi, unicuique Beneficiato per se, ac directe competit jus ad portionem Decimarum suo Beneficio correspondentem, et assignatam in prima Beneficii fundatione pro sustentatione ipsorum; sicuti antequam fieret Parochiarum, et honorum Ecclesiasticorum divisio, jus competeat omnibus Clericis Ecclesiæ ministrantibus, ut sibi ab Episcopo loci Decimæ pro ejusque merito fideliter, et juste distribuere; cap. *Decimas 1. caus. 16. qu. 7.* ibi: « Decimas sub manu Episcopi fore censemus, ut ille qui cæteris præest, omnibus juste distribuat. . . quia inhonestum videtur, ut alii Sacerdotes habeant, et alii detrimentum patiantur. » Unde et Deus præcipit, ut sui loco Decimæ solvantur non solum Curatis, sed etiam Clericis Ecclesiæ Ministris in genere, cap. *Tua nobis 26. de Decimis*, ibi: « Cum Deo debita sit solutio decimarum in tantum ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, Laici si moniti

reddere noluerint, Ecclesiastica sunt distractione cogendi. » (30. Decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, qui ex officio ministrant in spiritualibus populo, etiamsi ipsi sint divites. Est communis, teste Covaruvia lib. 1. variar. resol. c. 17. num. 4. Et ratio est, quia decimæ non dantur Clericis, ex eo quod pauperes sint, sed quia Deus præcipit, ut in signum supremi Domini loco sui dentur Clericis juxta Ecclesiæ dispositionem; arg. cap. *Tua nobis 26. de Decimis*, et quia ex officio in spiritualibus ministrant, nemo autem, licet dives sit, militat unquam suis stipendiis, juxta illud Apostoli prim. ad Corinth. 9. ibi: *Quis militat suis stipendiis unquam?* Vide supra art. 1. sub num. 4. (31. Sic etiam Decimæ debentur omnibus supradictis Clericis Beneficiatis, licet sint malæ vitæ, quia Decimæ non dantur eis propter bonitatem vitæ, sed propter servitium spirituale, unde non excusantur ab earum solutione qui ad eas tenentur, quamvis dicant se easdem pauperibus, et in his Christo dare, et consequenter melius agere quam si Clerico malæ vitæ solverent, textu expresso in cit. cap. *Tua nobis 26. de Decimis*, ibi: « Prætextu vero nequitiae Clericorum nequeunt eas (nisi quibus ex mandato Divino debentur) pro suo arbitrio pauperibus v. g. erogare, cum nulli sit licitum aliena cuique concedere præter domini voluntatem. »

(32. Omnes fideles Parochiani, nisi aliquo speciali titulo, seu jure sint exempti, tenentur solvere decimas tum prædiales, tum personales; cap. *Ex transmissa 23. de Decimis*, ubi expresse dicitur, quod « Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, Decimas erogare tenetur; » cap. *A nobis 24. eodem tit.* ubi præcise dicitur, quod « Quilibet decimas solvere teneatur, nisi a præstatione ipsarum sit specialiter exemptus; » et paulo infra: « Nisi ab eis ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes. » Et sic communis Doctorum, qui cum Barbosa de offic. et potest. Parochi cap. 28. § 3. num. 1. Moneta de decimis cap. 5. num. 26. et Glossa in cap. *Omnes Principes 4. de majoritat. et obedient.* dicunt teneri ad decimas etiam Imperatorem, Reges, Principes, et quosvis alios in quacumque dignitate constitutos, eo quod jus de omnibus indistincte loquatur, et ratio juris omnes tangat. (33. Etiam Hæretici tenentur solvere decimas tum prædiales, tum personales; Abbas in cap. *De terris 16. de Decimis* num. 6. Suarez. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 16. num. 3. Pirhing lib. 3. Decretal. tit. 3. num. 36. Reiffenstuel ibid. num. 41. et alii communiter. Et ratio est, quia Hæretici ipsi juri Divino, et Ecclesiastico, quo utroque ipsæ Decimæ obligant, sunt subiecti, maxime quia per fidem in Baptismo receptam et professam facti sunt subditi Legibus Ecclesiæ Catholice, a cujus jurisdictione per suam contumaciam non eximuntur, ne alias ex iniquitate sua commo- dum consequantur, contra l. *Itaque 12. ff. de furtis*. Et licet de facto Hæretici non reci-

piant ab Ecclesiæ Ministris Sacramenta, et spiritualia, non per hoc eximuntur ab obligatione solvendi Decimas, quia si non recipiunt, hoc provenit ex propria ipsorum culpa, et non ex defectu Ministrorum Ecclesiæ, qui ex parte sua sunt prompti ad ea ministranda, uti ex officio tenentur, et ipsi Hæretici ad eadem suscipienda, et suam erroneam sectam derelinquendam sunt obligati. (34. Etiam Judæi et Infideles tenentur solvere decimas prædiales ex fundis, et prædiis, quæ Decimis erant obnoxia, antequam ad eorum manus pervenirent; cap. *Quanto 18. de usuris*, ibi: « Hac eadem pœna Judæos decernimus compellendos ad satisfaciendum Ecclesiis pro Decimis, et oblationibus debitis, quas a Christianis de Domibus et possessionibus aliis percipere consueverant, antequam ad Judæos quocumque titulo devenissent, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes; » cap. *De terris 26. de Decimis* 16. ibi: « De terris, quas Judæi colunt, tuæ prudentiæ respondimus, ut eos ad Decimas persolvendas, vel possessiones penitus renunciandas cum omni distractione compellas, ne forte occasione illa Ecclesiæ valeant suo jure fraudari. »

(35. Non tenentur tamen Judæi et Infideles solvere Decimas personales; arg. cit. cap. *Quanto 18. de usuris*, cap. *De terris 16. de Decimis* et cap. *Apostol. 20. eod. tit.* et cap. *Ex transmissa 23. eod. tit.* et tenent expresse Glossa in cit. cap. *De terris 26. de Decimis* verb. *Persolvendas*, ibi: « Unde personales Decimas non persolvunt; » Azor. pag. 1. lib. 7. cap. 24. q. 3. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 16. num. 3. et Barbosa de offic. et potest. Parochi pag. 3. cap. 28. § 3. n. 3. cum pluribus ibi citatis, et Pirhing l. c. num. 37. dicit, quod sic tenent alii DD. communiter.

(36. Clerici simplices, et non Curati tenentur solvere decimas tum prædiales, tum personales de lucris, bonis, et fructibus sæculari jure acquisitis; cap. *Novum 2. de decimis*, ibi: « Illi profecto Clerici, quia a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent, » et Glossa ibid. verb. *A Clericis*, S. Th. 2. 2. q. 87. art. 4. cum communi aliorum; arg. cap. *Si quis Laicus, vel Clericus 42. cap. Quicumque 44. cap. de Decimis 45. caus. 16. q. 1.* (37. Non tenentur tamen isti Clerici simplices, seu non Curati solvere decimas de bonis Ecclesiasticis titulo Beneficii, aut alio titulo Clericali acquisitis; exceptis prædiis, agris, et aliis fundis ex quibus, antequam in dotem Beneficii assignarentur, decimæ solvi solebant. Prima pars est communis; arg. cap. *Novum genus 2. de decimis*, ibi: « Novum genus exactionis est, ut Clerici a Clericis decimas exigant, cum nusquam in Lege Domini hoc legamus, non enim Levitæ a Levitis decimas accepisse leguntur, » et Glossa ibid. verb. *A Clericis*, ubi interpretando hunc textum dicit, quod Clerici Clericis decimas dare non debent de bonis Ecclesiasticis, bene tamen de patrimonialibus, vel quasi talibus, ibi: « A Clericis,